



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

45. An qui ordinatur non servatis temporum interstitiis v. g. Diaconus, elapso anno ab Ordine Subdiaconatus, incurrat suspensionem? Et an Episcopis possit dispensare ex causa rationabili in hoc? Et ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

suspensionem impedire solum usum Ordinis malè suscepti, & in quo deliquit, & consequenter etiam ne ulterius ascendat, non autem ne utatur Ordine inferiori si legitime illum suscepit: Idque indicant verba illa, si suspensione durante in eisdem ordinibus ministrare presumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. In eisdem scilicet malè susceptis, à quibus suspensi sunt, & non in quovis Ordine, ut etiam iure antiquo suspendebantur ab executione Ordinis solius malè suscepti, ex gloss. cap. consultationi de tem. ord. & ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 2. de reform.

RESOL. XLIII.

An suspensus ex ordinatione ante legitimam aetatem possit celebrare illa completa sine alia dispensatione?

Et quid est dicendum, si culpabiliter omnino ante legitimam aetatem suscepit ordinem?

Et quid, si inculpabiliter, & jam est in legitima aetate, an possit exercere actum sui Ordinis absque incurfione irregularitatis?

Et an talis ante aetatem ordinatus, incurrat duas suspensiones, unam ob delictum, alteram verò ob defectum aetatis, ac proinde absolutus à prima non censetur absolutus à secunda, nec potest ministrare, donec attingat legitimam aetatem? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 34.

§. 1. **N**egativè respondet Cornejo in 3. p. tract. 5. de susp. disp. 4. cap. 3. ubi sic ait. Durat autem hæc suspensio etiam post completam aetatem, donec per Pontificem relaxetur, aut si sit occulta, per Episcopum, aut etiam in foro conscientie per Bullam, ubi nota quod quamvis iste ante complementum aetatis absolatur ab hac suspensione, adhuc non potest in Ordine suscepto ministrare. Et si dicas, quid ergo operatur absolutio? dico duo operari, unum est quod impleta aetate possit statim exercere illi Ordinem, & alterum, quod si exerceat illum ante aetatem, quamvis mortaliter peccet, non incurrit irregularitatem. Ita Cornejo. Cui adde Hieronymum Rodriguez in Compend. 99. Reg. resolut. 106. num. 14. Henriquez lib. 13. cap. 38. num. 1. in glossa littera F. Bonacina de censur. disput. 3. quest. 1. punct. 1. num. 12. & alios. Sed distinguit Toletus lib. 1. cap. 49. num. 4. Suarez de censur. disput. 3. sect. 1. num. 25. Avila part. 3. dub. 7. not. 8. & 9. Navarrus cap. 27. num. 155. & alii. Nam si quis inculpabiliter omnino ante legitimam aetatem suscepit Ordinem, & jam est in aetate legitima, absque incurfu irregularitatis potest exercere actum sui Ordinis, quia intentio Pontificis fuit tali castigatione reprimere temeritatem taliter delinquentium. Si verò suscepit culpabiliter, ut si sciebat vetitum, licet nesciret impositam censuram, indigeret relaxatione suspensionis, licet jam pervenerit ad legitimam aetatem, juxta præsentem constitutionem. Posset tamen sic suspensus excusari ab irregularitate, si temerarie quidem suscepit Ordinem, sed facta poenitentia illius malæ suspensionis bona fide credens jam ob legitimam aetatem sibi licitum esse Ordinis exercitium, actum exerceat, ut sentit Navar. & Suarez locis supra citatis, eo quod carentia præsumptionis possit excusare ab irregularitate, etsi à suspensione non excusarit. Sicut læpè bona fides excusat ab irregularitate, quæ non excusat ab excommunicatione, juxta gloss. cap. soler. de sent. excomm. lib. 6.

2. Non desinam tamen hic adnotare absolute affirmativam sententiam docere Cordubam cap. 144. & Sotum in 4. sent. dist. 25. quest. 1. art. 2. in fin. cum Medina in Inst. lib. 1. cap. 11. §. 6.

3. Nota etiam quod iste talis ante aetatem ordinatus incurrit duas suspensiones, unam ob delictum,

alteram verò ob defectum aetatis, proinde absolutus à prima, non censetur absolutus ab alia, nec potest ministrare donec attingat legitimam aetatem, & ita docet Hieron. Rodriguez ubi supra, Suarez de cens. disput. 23. sect. 3. num. 4. & Portel. verb. Ordines sacri, num. 12.

RESOL. XLIV.

An suspensus juxta Bullam Pij II. quia suscepit Ordines sacros extra tempora, ante legitimam aetatem, vel sine litteris dimissoriis, &c. dispensari possit ab Episcopo, vel à Superiore Regulari?

Et idem est dicendum de irregularitate ob id contracta. Ex p. 5. tract. 10. Ref. 31.

§. 1. **N**egativam sententiam docet Gutierrez in 99. Canon. lib. 1. cap. 26. num. 21. ubi sic ait: Qui extra tempora, vel ante aetatem legitimam, vel sine dimissoriis promotus fuerit ad sacros Ordines, suspensus est ipso jure, donec absolutionis beneficium à Papa fuerit consecutus, non tantum usque ad aetatem legitimam, provi de jure existimabat Sotus & probatur in cap. cum quidem, & cap. litteras, de temp. ord. sed etiam hodie perpetuò, donec absolvatur, ut in d. Extravag. Pij II. Ita ille, & novissimè hanc sententiam ex aliis Doctoribus tenet Riccius part. 4. decis. 93. num. 14.

2. Sed contrariam sententiam tenet Suarez de censur. disput. 31. sect. 1. num. 32. Hieron. Rodriguez ubi infra, & Hurtadus tract. de suspens. diff. 13. n. 36. ubi sic ait: Ordinatus scienter, aut ex ignorantia affectata ante legitimam aetatem, aut extra tempora, aut absque dimissoriis, manet suspensus ab Ordine sic suscepto, per Extravag. Pij II. confirmatam à Pio V. cujus mentionem facit Avila 3. part. disp. 5. dub. 7. ab ea tamen suspensione potest Episcopus absolvere, quamvis Sixtus V. in Extravag. sanctum & salutare, absolutionem illius reservaverit Papæ, quia eam revocavit Clem. VIII. Hæc Hurtadus.

3. Notandum est etiam hic posse superiores Regulares absolvere suos subditos sic suspensos, & ita quæ late in docet Portel in dub. regul. verb. Ordines sacri suspensio, Ref. 297. num. 14. & Hier. Rodriq. in Comp. q. reg. resolut. 106. num. 26. & idem dicendum est de irregularitate ob id contracta. Vide etiam Henriquez lib. 14. cap. 20. n. 3. & Bejam part. 4. cap. 37.

RESOL. XLV.

An qui ordinatur non servatis temporum interstitiis, v. g. Diaconus elapso anno ab ordine Subdiaconatus, incurrat suspensionem?

Et an Episcopus possit dispensare ex causa rationabili in hoc?

Et an Abbas in casibus in quibus Tonsuram, & minores Ordines conferre potest, dispensare valeat in interstitiis?

Et an hoc procedat in casu, quo Abbates suos subditos cum dimissoriis remittant, ut ab Episcopis Ordinentur, nec tunc examinandos esse ab Episcopis, non obstante Concilio Tridentino?

Sed docetur, quod in receptione Ordinum minorum nulla requiruntur interstitia, sed possunt recipi eodem die, se videatur Episcopo, & de minoribus ad Subdiaconatum remittitur ad usum Provincia. Ex p. 5. tract. 10. Resol. 40.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Portel. in dub. regul. verb. suspensio, num. 14. ubi sic ait: Ille qui ordinatur

Ref. 89 § ult. ordinatur non servatis interstitiis, ita ut inter Sub-
& in Ref. 92, diaconatum & ceteros superiores Ordines deficiat
§. etiam ult. annus, incurrit suspensionem, non verò; incurrit si
deficit annus inter Ordines minores, Concilium enim
Sup. hoc inf. solum loquitur de Ordinibus majoribus, & de mino-
ribus inter Subdiaconatum remittitur ad usum Pro-
vinciæ. Hæc ille, qui malè citat Suarez.

2. Sed negativè respondendum est, quia nulla
suspensio incurritur in jure expressa; ergo. Et ita docet
Suarez de cens. disp. 31. sect. 1. num. 43. verum est
quod peccabit, si faciat hoc absque licentia Episco-
pi, nam facit contra præceptum Trident. sess. 23.
cap. 11. & præter Suarez contra Portel. hanc senten-
tiam docet Filliucius tom. 1. tract. 17. cap. 5. n. 86. ubi
sic ait. Non servantur interstitia si diversis quidem
diebus, & legitimis temporibus, sed non servatis de-
bitis interstitiis, duo Ordines sacri sumantur, contra
statutum Trident. sess. 23. cap. 13. in quo vult post sus-
ceptum unum Ordinem sacrum, annum integrum
debere elabi, antequam alius recipiatur absque dis-
pensatione Apostolica; nulla tamen poena est impo-
sita, nec ita severè prohibitum, quin Episcopus non
possit dispensare ex causa rationabili. Et quamvis
Sixtus V. imposuerit poenam suspensionis ipso facto,
tamen deinde sublata est per Clem. VIII. quare nec
etiam erit suspensus, qui sine dispensatione recipit
Subdiaconatum ante lapsum annum ab altero mino-
ri, licet graviter peccet contra Trident. sess. 23. c. 11.
de reform. In receptione autem Ordinum minorum
nulla requiruntur interstitia, sed possunt recipi eo-
dem die, si ita videatur Episcopo, cui se remittit
Trid. loco cit. Ius autem antiquum in cap. singulis,
disp. 77. est antiquatum. Ita ille, & ego.

Sup. hoc in
tom. 2. tr. 5.
lege laram
doctrinam
Ref. 97. &
Ref. & 95.
ejus primæ
not. signan-
ter in §. Ad
cap. ad med.
Qui Episco-
pus, & in
Ref. not. pro-
teritæ §. 1.
in fin.

Sup. hoc
examine in
tom. 2. tr. 5.
Ref. 75 § ult.
in princ. &
lege §. ejus
secundæ not.
& in Ref. 85.
§. Deinde,
&c.

RESOL. XLVI.

An ordinati cum dimissoriis Capituli Sedis vacantis in-
fra annum incidant in suspensionem?
Et alij quatuor casus explanantur pro Capitulo Sede va-
cante, & pro dimissoriis, & Ordinandis concedendis
tempore Sedis vacantis. Ex p. 5. tract. 10. Ref. 46.

§. 1. Affirmativè ex Concilio Trid. sess. 7. cap. 10.
respondendum est cum Turriano de censur.
lib. 5. disp. 46. dub. ult. & aliis. Verum hinc non desinam
adnotare.

2. Primò, quod potest Capitulum Sedis vacantis
infra annum concedere dimissorias ei, qui est præ-
sentatus à patrono laico ad beneficium Ecclesiasti-
cum juris patronatus ipsius, ut illud obtinere valeat.
Ita Garcias de benef. p. 5. cap. 7. num. 93. Molfesius in
summ. 1. tract. 6. cap. 7. num. 50.

Sup. hoc in
to 3. tr. 5. ex
lata doctri-
na Ref. 11. &
lege pro par-
te §. ejus se-
cundæ not.

3. Secundo potest anno durante Episcopo extero
concedere exercitium pontificalium, & ordinationem
proprium subditorum, non tamen subditorum
Sedis vacantis. Ita Piascius in praxi Episc. p. 1. cap. 1.
art. 2. num. 10. Henriquez lib. 10. cap. 22. n. 1. Qua-

ranta in sum. Bull. verb. Capitulum Sede vacante, quest. 11.
& alij.

4. Tertio dico; posset quoque Capitulum Sede va-
cante ante lapsum annum vacationis, obtinere facul-
tatem à Sede Apostolica ad suscipiendos Ordines à
quocumque Antistite Catholico, cum licentia proprii
Ordinarii, provi semper in concessionibus hujusmo-
di clausula de petenda Ordinarii licentia apponitur,
facultatem hanc subordinatam concedere, Ita Barbo-
sa de potest. Episcopi, part. 2. alleg. 7. num. 14. & alij.

5. Et tandem quartò potest Capitulum Sede va-
cante testimonium idoneitatis facere. Ita Barbo-
sa supra, num. 16. & alij, licet Moneta de commutatio-
nibus ult. volum. cap. 10. n. 182. refert Modernum Ca-
riæ Romanæ stylium habere, ut Sede Episcopali va-
cante, ipsæ quoque literæ testimoniales dentur ab
Episcopo viciniore.

RESOL. XLVII.

An qui sibi titulo impetrat dimissorias, incurrit suspen-
sionem laram in eos, qui sine literis dimissoriis ordi-
nantur, v. g. qui ob solum patrimonium initi-
antur, &c?
Et quid dicendum est de eo, qui patrimonio, aut do-
nationi sibi factæ renunciavit, antequam literas dimissi-
rias, vel ordinem susceperit, an contrahat in hac pro-
motione suspensionem? Ex p. 5. tr. 10. Ref. 55.

§. 1. Affirmativè respondet Cornejo in 3. part. Scabell.
tract. 5. disp. 4. cas. 5. quest. 2. ubi docet tales in
duas suspensiones (licet ipse dicat irregularitates, ex
incuria librationum, vel scriptorum) incurere, unam
quia e mentito titulo ordinantur; alteram, quia sine rati-
literis dimissoriis. Idem etiam docet Coninch de Sa. Ad regu-
crum, disp. 16. dub. 5. num. 38. ubi hæc ait: Vtrum li-
teræ dimissoriæ dolo obtentæ sint invalide ut earum
vi ordinatus incurrat suspensionem laram in eos, qui
sine literis ordinantur ab alieno Episcopo, dubium
est. Quidam negant. Suarez verò supra probabilius
affirmat, quia concessa facultas non extenditur ultra
mentem concedentis, nec videtur Episcopus velle
ulla ratione consentire in illius ordinationem, & con-
sequenter neque his literis dare facultatem. Et ita
hanc sententiam docet etiam Reginaldus 10. 2. lib. 32.
tract. 2. cap. 25. num. 27. Mercerus de Sacram. in 3. p.
quest. 24. dub. 7. Hortadus tract. de suspens. difficul. 13.
num. 38. & Gordonus tom. 2. lib. 7. quest. 15. cap. 12. §. 6.
num. 24. & alij.

2. Non desinam tamen hinc adnotare Henriquez
lib. 13. cap. 37. num. 2. contrariam sententiam docere, sic
enim ait. Qui ob fictum patrimonium initiatur, non suspensus
incurrit aliam suspensionem laram contra eos, qui dimissorias
absque reverendis proprii Episcopi iniuntur; quamvis
enim per fraudem licentiam, & Reverendas obti-
neat, est tamen vera licentia. Sic ille, & post illum
Villalobos in summ. tom. 1. tract. 18. diff. 10. n. 3. ita asse-
rens. [Respondendo que este lleva reverendas verdade-
ras, no obstante que las aya alcanzado con causa fal-
sa, y que si el Obispo lo supiera, no se las diera. Lo
uno, porque al Obispo le incumben el averiguar, si el
patrimonio es verdadero d no, como consta de aque-
las palabras del Concilio, Eo quoque prius perpe-
cto patrimonium illud verè ab eis obtineri. Lo se-
gundo, porque si bastara para incurrit la suspension
ser fingido el patrimonio, tambien bastara la falsa
probança de buenas costumbres, y limpieza de lin-
age, porque si el Obispo lo supiera, no diera las reve-
rendas.] Hoc etiam docet Avila, ut supra visum est de
cens. part. 3. disp. 5. dub. 5. conclus. ad 3.

3. Sed quid dicendum de eo, qui patrimonio, aut
donationi,